



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Alia Carolomanni Regis Boiorum donatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

rius credatur, ac diligentius cōseruetur, manu propria subter eam firmauimus, & annuli nostri impressione sigillari iussimus.

Signum Domini Carolomanni Serenissimi Regis,

Madalvvinus notarius ad vicem *Baldonis* Cancellarij recognoui. Data sexto Cal. Martij. Anno Christi propitio. Primo regni Domini Carolomanni Serenissimi Regis *Boiorum*. Indictione nona. Actum *Matachoue* curte regia in Dei nomine feliciter Amen. Anno Christi, DCCC. LXXVI.

Alia Carolomanni Regis *Boiorum* donatio.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: *Carolomannus* diuina fauente gratia Rex. Si pro amore Dei: ac reuerentia Sanctorum illius: locis Deo dicatis, nostrisque laboribus, à fundamentis (Christo miserante) extractis & terrenarum præbere satagamus rerum: liquido nobis inde æterna credimus prouenire præmia. Quapropter nouerit industria omnium fidelium nostrorum præsentia scilicet & futurorum: quomodo pro redemptione animæ nostræ: ac conjugis parentumque nostrorum, quasdam res proprietatis nostræ in partibus *Carentanie*: *Scaluniae*q; regionis sitas. Ad sanctum *Maximilianum* confessorem Christi, nec uō & ad sanctam *Felicitatem*: Septem filiorum martyrum & matrē, tradidimus. quorum corpora, in nouam nostræ edificationis basilicam ad *Otingas*, collocare in timore & amore Dei omnimodis curauimus: cui venerabilis abbas *Werin. Iphus* præesse dinoscitur, quatenus in luminaribus eiusdem Ecclesiæ & in alimouis pauperum, seruorumque Dei ibidem degentium perpetualiter proficiant in augmentum. Dedimus namq; ad præfatas Sanctorum Dei reliquias, locumque nominatum, curtem illam ad *Trebinam* cum domibus & vniuersis ædificiis, cum mancipiis infra curtem morantibus vtriusque sexus nouendecim, cum mansis LXX. cum agris cultis, incultis, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus, immobilibus, & cum omnibus pertinentiis & adjacentiis. Termini verò eiusdem nostræ donationis ita se concludunt. Tendunt igitur in partes occidentales sursum per fluuium *Traum* vsque in eum locum qui vulgo dicitur ad *Buochun*: in aquilone inter duos lacus (qui ibi sunt) se continent. Et in orientem iuxta illum lacum simulq; cum lacu vsq; in eum locum vbi rubea petra, è regione eiusdem loci prominet. Et in meridiem vsque in riuium qui dicitur *Durrenpach*, & sic vsq; ad pontem *Villach*. Insuper & montem *Sikkorra*. Ad eundem locum prescriptum dedimus, quatenus hæc omnia cum omnibus integritatibus suis, ad præfatos sanctos Dei, per hoc præsens præceptum munificentæ nostræ, sine vlla diminuratione seu molestatione pertineat. Liceatq; prænominato abbati suisq; successoribus, easdem res ordinare disponere per omnia, iuxta id quod ipsis fratribusq; sub eis degentibus placeat. Et vt hæc auctoritas nostræ donationis per futura tempora firmior habeatur & verius credatur: manu propria nostra subter eam firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum Carolomanni

R O S
M
R N I

inuictissimi Regis.

Madalvvinus Notarius ad vicem *Theotmari* recognoui. Data quinto Idus Septembris. Anno Christi propitio Tertiō regni Domini Carolomanni piissimi Regis in *Boiaria*, & primo in *Italia*. Indictione XI. Actum *Rantersdorf* curte regia in Dei nomine feliciter Amen. D. CCC. LXXVIII.

Metrop. Salisb. Tom. II.

6

Ranters-

Rantersdorf: nunc est *Ranshouen* cœnobium: proximo *Brundunum* urbem: vbi quondam palatium regium: & sedes iudicum vectigaliumque crarium fuit & publicanorum: vti nunc est *Brunduni*: ita vetera monumenta ejusdem Cœnobij indicant.

Caroli tertij fratris *Carolomanni* regis *Boiorum* &
Italia donatio.

IN nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis, *Carolus* (diuina fauente clementia.) Imperator Augustus. Si locis diuinis cultibus mancipatis: aliquid emolimenti contulerimus: præsentis vitę prosperitatem, à Deo nobis donari credimus: & æternę vitę beatitudinem consequi non dubitamus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria: qualiter nos ob amorem Dei, ac pro remedio animarum, parentum nostrorum, genitoris & genitricis nostrę, fratrum, sororumque nostrarum, ac pro nostra & conjugis nostrę æterna remuneratione, nouas res, de curtibz nostris subternominatis omnium rerum, ad Capellam quę sita est in villa quę dicitur *Otinga*, perdonauimus. Id est, de *Weles*: de *Aternhoua*, de *Matahoue*, de *Rantersdorf*, de *Muninga*, de *Schvwindlenbach*, de *Otingen*, de *Osternundingen*, de *Salzburchoue*, de *Salina*, de *Atilla*, de *Osterhoua*, de *Dingoluing a*, de *Liuchingan*, de *Incingan*, de *Peringē*, de *Chreminchoue*, de *Veldan*, de *Helsendorf*, & nonam partem in vitę ad *Rantersdorf* & *Tabsbaim*. Ideoque hos nostrę auctoritatis apices, inde conscribi mandauimus, per quod decernimus atque omnino sancimus, vt præfatę res, ad præfatam Capellam deinceps securiter atque inuiolabiliter permaneant, nullo vnquam successorum nostrorum eas interrumpente. Et vt hæc largitionis nostrę auctoritas firmior habeatur, manu propria subter eam firmauimus, & annuli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum *Caroli*  *Serenissimi Imperat. Augusti*

Amalbertus Notarius ad vicem *Luitwardi* Archicancellarij recognoui. Data VIII. Cal. Septembris. Anno incarnationis Dominicę. D. CCC. LXXXV. Inditione III. Anno Imperij piissimi Imperatoris *Caroli*, in *Italia* quinto, in *Francia* quarto, in *Gallia* primo. Actum ad *Weibelingam* in Dei nomine foeliciter Amen.

Arnolphi Imperatoris instrumentum filij *Carolomanni*
Regis *Boiorum*.

IN nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis. *Arnolphus* diuina fauente gratia: Imperator Augustus: Notum sit omnibus sanctę Dei Ecclesię fidelibus: tam præsentibus quam futuris: qualiter nos pro æternę felicitatis adipiscenda mercede: nec non per supplicationem *Wichingi* venerabilis Episcopi cuidam fideli ac religioso presbytero (cui nomē *Ellenprecht*) tales res (quales hætenus in beneficium in *Rantersdorf* muneris nostri largitate tenebat, id est Capellā quam nos in honore Christi & S. *Pancracij* à fundamentis construximus: doteque opportuna & ecclesiastico ornatu accumulauimus) cum omnibz quę modo per præceptum nostrum illuc collata sunt: vel in futuro collata erunt: integriter ad proprios diebus vitę suę concessimus: cum curtibus & ædificiis: famulis & vtriusq; sex⁹ mancipiis, vineis & vinitoribus, censibus, agris, pratis, pascuis, syluis cum foresto ad hengiste, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inuis,